Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Menippus sive dialogorvm satyricorvm centuria inanitatvm nostrativm specvlvm

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

Peroratio

urn:nbn:de:bsz:31-107424

Visual Library

PERORATIO.

SI perlegiſti hæc mea, cordate lector, nec ſeria plane, nec omnino iocoſa, oro benigne dimittas, nec ad ingenii tui nobilioris amuſſim examines. Vnius homuncionis vox eſt, duriter à multis diu habiti, & fortaßis contra decorum ſtimulati. Non deſunt tamen etiam ex beatiorum numero, qui talia mußitant, & mox iterum ſub meliorum ſperatq; expectationis pulvere ſepeliunt. Sane ut inter ebriorum ſtrepitus multa eſt ac alia linguæ libertas, quam cum ſobrii aßident, ita hoc ſtreperum noſtrum ſeculum nugarum feracius eſt & tolerantius, quam olim cum fidei, & eruditionis res ſerio agerentur. Iacta alea eſt, cum nullius, opinor, boni iniuria, malorum vero fremitus ad poſteritatem non deſcendit. Erit, ubi detecta humanæ ſcenæ larua noſmet nude introſpiciemus, & quæ diu multumq; terrefecit exercuitq; tyrannicam hypocriſin, plenis, liberisq; cachinnis irridebimus: Interim ſi quid noſtra præſens ac diuturna infelicitas arcanorum mundi obiter prodidit, id omne ſimplicioribus, credulisq; dedicatum volumus,

lumus, ne eaſdem caſſes, figmenta, inanitateſque poſt nos repetant, & ſerius quam humanæ breuitas vitæ permittit, vera monitos fateantur. Sed caue, caue mi lector putes, inter hos humanæ vitæ defectus, vel ſacram noſtram Religionem, quam ſartam limpidamq́ nobis tot fideles Chriſti ſervi cuſtodiunt, vel auream illam pacem, qua ſub Principum noſtrorum regimine fruimur, vel nobiliſsimas ſcientiarum, artium, linguarumq́ palæſtras, ac felicitatis omnigenæ veluti ſeminaria, tanto ſumptu nobis erecta, propagataq́, vel in vniuerſum publicam, priuatam orbis Chriſtiani diſciplinam minus æſtimari, ne dum petulanter irrideri, quæ Phariſæorum, ſycophantarum, & barbarorum leuiſsima vox eſt, cum potius agnoſcamus & honoremus innumerum plane eorum numerum, qui ſuccum, ſanguinemq́ ſuum Reipublicæ fideliter ſimul, & anhelantes impendant, quiq́ cum gemitu & lachrymis eorum ſocietatem, intermixtionemq́ intuentur, quos peſsime meritos, & ſupplicia dignos benignior tamen fama, & liberalior fortuna ſolet comitari. Vnde id tibi ſerio, ac itentidem inculcandum, idem videri piaculum, bonorum laboribus & famæ

inſultare,

inſultare, ac malorum otio ac ſaginæ aſſentari: fidelium preces & ſuſpiria irridere, & impoſtorum fucos & flagitia diſsimulare. Quod unum ſi imbiberis, poſthac huius ergaſtuli noſtri querelas credes, non contumelioſas, & ſcurriles, ſed ſerias, deuotas, ſimplices, & quæ conſcientias reorum ipſorummet appellitent, deniq; eas, quæ ad ipſum Ieſu Chriſti tribunal audacter, ac breui quod ſperamus, ſint comparituræ.

CHO-